



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciobcccxiij.

*Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.*





A. A. C. C.  
 DISPUTATIO  
 EXERCITATIONUM PHILO-  
 SOPHICARUM XXIIIX.

De  
 CONSTITUTIONE  
 METAPHYSICAE, EJUSQVE  
 Objecto ac Principijs.

Quam,  
 Deo Tri-uno benigne annuente,  
 SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILMANI

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,  
 Liberalis exercitij gratiã defendendam suscipiet,  
 TOBIAS KÖNRINGIUS  
 Frisius

In celeberrimã VVittebergensi Academia,  
 ad diem 1. Decemb. hora 8 loco solitis.  
 Seneca in Præfat. lib. 1. Nat. q. q.  
 Equidem tunc nature rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte  
 video, que publica est sed cum secretiora eius intravi &c.

VVITTEBERGÆ.  
 Typis Iohannis Gormanii. ANNO M. DC. X.





Nobilitate generis, natalium  
splendore, auctoritate, multarumque rerum  
usu ad primè conspicuo V I R O,

**Dn. VOLCHARTO AB**

*Saddien/ Hereditario in Snarrienshausen/*

*Ut &*

*Reverendâ dignitate, pietate, ac multiplici eru-  
ditiōe præstanti VIRO,*

**Dn. M. REIMERO LIGARIO,**

*Verbi divini in Badwerden Præconi  
vigilantissimo,*

*Dominis Meccenatibus, Fautoribus ac*

*Promotoribus suis,*

*Hanc Exercitationem Metaphysicam,  
ingrati animi indicinam ac de-  
bita observantia tesseram*

*Humilimè*

*Dicat*

*ac*

*Offert*

**TOBIAS KÖNRINGIUS, Fris:  
Respondens.**

## P R Æ L O Q V I U M.

**D**ivine ac perverum illud Favorini effatum a nemine non meritissimo pleno ore  
 do laudatur, Nihil in terra magnum præter Hominem, nihil in Ho-  
 mine præter mentem: Nam inter maxima rerum suatum Natura nihil habet,  
 quo magis gloriatur, aut certe cui gloriatur quam Homine, uti loquitur non fide  
 & fallaciter, sed verè & sapienter Philosophorum columnen celeberrimum, Seneca,  
 lib. 6. de Benef. c. 23; Quippè qui unum & verum in naturâ est miraculum, Scalig. Exerc. 287,  
 regula vivendum, Idem Exerc. 102. Sect. 5, rerum, summam, omnium compendium, indeq; quo-  
 tammodo Omnia, Idem Exerc. 250. In eo autem id unice & maxime laudandum mirandumq;  
 non quod circa ipsum, aut quod eripi potest dari, verum enim quod Ipsius est, nempe Animus  
 & ratio in animo perfecta: Cætera enim sic re super hac eruditissime dissertat Seneca, in lib. 10. E-  
 pist. 77. cum animalibus satisq; Illi communia sunt; Valer? Et leones. Formosus est? Et pavones.  
 Velox est? Et equi. Corpus habet? Et arbores. Habet impetum & motum voluntarium? Et bestie  
 & vermes. Habet vocem? Sed quanto clariorem canes, acutiorem aquile, graviorem tauri,  
 dulciorem mobilioremq; lusciniæ. Quod igitur in Homine proprium? Ratio, quæ recta & consum-  
 mata felicitatem eius implebit. &c. Et hæc ipsa est, quæ in solidum Hominem in summum di-  
 gnitatis gradum locat, & omnibus eum facit superiorem rebus, utq; omnia suam in potestatem re-  
 digere possit: Non etenim, juxta Homeri verbum, Odyss. 8. v. 246 pugiles luctatoresue profe-  
 cto — Invicti sumus, aut cursu contendere digni; In his namq; omnibus præstant Nobis, &  
 modis bene multis, bruta. Ratione autem, secundum Plutarch, in l. de fortuna. fol. 216. omnia  
 quæ ipsa habent in nostros verimus usus, favosapum colligimus, lac mulgemus, & res brutorum  
 nostro arbitratu agimus ac ferimus. &c. Est autem tam magna & generosa res Ille animus hu-  
 manus, ut nullos sibi poni nisi communes, & cum Deo terminos patiatur, Seneca lib. 17. Epist. 103.  
 quippè qui & ipse divinus est, & infinitus, Scalig. Exerc. 307. Sect. 11: Ratione quæ oculis mini-  
 me contentus est, aut sensibus reliquis, nec ipsi ad sufficientiam cognitio rerum naturæ ab illa par-  
 te, quæ publica est; Verum quæ in sanctiore secessu delitescent inquirere, in divinis proficere,  
 Deiq; in contemplationem admitti vel unice gestit. Seneca in præfat. lib. 1. Nat. q. q. Qui verò hoc  
 fieri queat, viam monstrat expeditissimam sola Metaphysica, quæ nulla melior disciplina, nulla  
 quæ de præstantia cum ipsa concertare queat, lib. 1. Metaph. c. 2 & lib. 6 cap. 5; Quam ideo, quæ  
 cognitio rebus Phisicis, solentius aliquantum considerare, magno conducit opere: Hæc, vice au-  
 tem breviter & leviter saltem de Natura, Objecto, ac principijs eius in insequentibus themati-  
 bus alturi sumus.

## T H E S I S I.

**P**rimam ac principem esse aliquam Philosophiam, eamq; ratione omnigenâ  
 peculiarem distinctamq; ab alijs universim scientijs disciplinam, non tantum  
 autoritate augustiss: summi nostri Philosophi, nec non doctiss: Eius Explanatorum,  
 manifestò constat; Verum clarè etiam ex eo elucet, tum quod subjectum primum &  
 summum, ut est Ens quâ tale, summam quampiam Philosophiam deprecatur, quippè  
 cum admodum ipsarum rerum scientia soleant secari, lib. 3. de Anima t. 38; tum quia  
 dantur Entis divisiones altissimæ & maxime sublimes, in substantiam & acci-  
 dens, reale & intentionale &c. Detur igitur oportet scientia altissima, quæ divi-  
 siones istas capiat, lib. 4. Met. t. 1.

II. Hec autem ipsa scientia multis praeclaris insignis est titulis: Interdum enim dicitur Philosophia, ibidem t. 5, & quidem Prima, cum scilicet in ea completum sit sapientiae studium, & vere fundamenta solida Philosophiae ponantur; Interdum nominatur Naturalis Theologia, lib. 6. Metaph. c. 11. quia quicquid de Deo naturaliter cognitum est, ex illa unice & maxime depromitur.

III. Interdum adpellatur Divina scientia, lib. 1. Met. c. 2, dum in contemplationem divinorum nos non tam admittit quam ducit; Interdum vocatur aliarum scientiarum Princeps & Domina, lib. 1. Post. t. 70, & lib. 6. Met. c. 1. quia cuilibet scientiae particulari proprium subjectum, proprias affectiones & principia constituit, inque vocata dubium stabilit ac firmat: Vnde quicquid ambitu illae particulares comprehendunt, id à prima seu domina accipere, quae de causa haec illius sunt quasi mancipia.

IV. Interdum Matris reliquarum scientiarum appellationem subit, lib. 1. Met. c. 2, quia ei omnium Entium causa prima, & Ens in latitudine sumptum subest, quod ex se ceteras scientias  $\epsilon\upsilon\ \tau\omega\ \mu\epsilon\gamma\epsilon\tau$ , seu pullos excludit, lib. 4. Met. c. 1. Tandem & ipsi in vulgario est usu nomen Metaphysica, vel quia circa occupata tenetur res illas, quae constitutae sunt supra rerum seriem naturalium; Vel quod subjecti dignitas excellentiaque titulum hunc inscriptionemve mereatur.

V. Estque nil Metaphysica aliud, quam sapientia Ens prout est Ens, & quae illi adherent, modos nimirum Entis, prima principia & primas causas, perpendens ac considerans: Genus non quidem perfecte univocum, sed  $\pi\epsilon\sigma\sigma\ \epsilon\upsilon\ \chi\ \alpha\ \Phi\ \epsilon\upsilon\sigma$ , facimus sapientiam, tum quia Philosophus eam ita inscripsit, lib. 1. Met. c. 2. & 6, & lib. 3, c. 2. & lib. 5, cap. 11. Tum quia definitio sapientiae, quae talis, quod sit habitus principiorum & conclusionum, lib. 6. Ethic. c. 7, ipsi ex se est competens.

VI. Tum demum quia ad unam conditiones omnes sapientiae quae recensat Aristot. lib. 1. Met. t. 2. Metaphysicae accommodari possunt: Hae n. Metaphysica in genere versatur circa Entis rationes communes, sive sit substantia, sive sit accidens, sive sint universalis, sive prima principia, quibus omnia reliquarum scientiarum principia fundata sunt; sic & Entia particularia considerat, non tamen eo modo omnia sed ea maxime, quae à materia secundum rem sunt abstracta.

VII. Deinde versatur eadem etiam circa difficilissima & à sensibus remotissima: Est scientia certissima, quippe ex cuius principijs aliarum scientiarum principia certitudinem capiunt; Est denique scientiarum, quotquot sunt, omnium prestantissima, eminentissima, omnibusque honorabilior alijs, dum versatur circa principia prima, & primas ac universalissimas causas.

VIII. Loco differentiae, in definitione eius ponitur subjectum, quod ipse verum minime est vel solus Deus, vel Deus cum divinis reliquis mentibus, vel Ens patens la-

zissimè quâ Entia & realia & rationis includit, vel omne intelligibile, vel Ens finitum, quâ in substantiam & Accidens dividitur, &c. Sed Ens prout est Ens, lib. 4. Metaph. cap. 1: Hoc enim in nullâ omnino subjecti scientifici proprietate deficit, sed maximè omnes exactè obtinet.

IX. Intelligitur enim vocabulo Entis omne id, quod essentiã habet realem, quod tale est, ut non cum ipsa disciplina esse incipiat, Sed multò antè existat, cuius nomẽ & significatio nominis fugere neminẽ equidẽ potest, cui omnes affectiones, quas Metaphysica considerat, conveniunt, ad quod etiam principia omnia referuntur, quod omnia, quæ in Metaphysicis proponuntur, potentialiter ac virtualiter complectitur, quod hanc ipsam ab omnibus alijs disciplinis discriminat, maximè à Logicã, cum qua aliàs in communitate convenit lib. 1. Post. t. 85. & lib. 1. Soph. cap. 11.

X. Quo ad rem igitur consideratam extendit se Metaphysica ad omne Ens, & ne imperfectè & confusè id fiat, Entis quoq; quasi species & quasi affectiones nõ preterit; Quo ad modum considerandi, considerat Ens quatenus Ens, hoc est, Entis rationem p̄cisam & abstractam, non ad particularem aliquam Entitatem materialem adstrictam, & sic Entia tam universalis quàm considerat particularia, sed non sub proprijs eorum rationibus, verùm sub ratione Entis.

XI. Et si verò modò hoc Metaphysica sit de multis ijsq; rebus diversis, una tamen specie est scientia, tum ratione forma, juxta quam omnis habitus indivisibilis est, tum ratione generalis objecti, in quo omnia ratione potentie & virtutis sunt conclusa: Interim, quâ illud ipsum objectum varias secari potest in species, habetq; & generalia ac communia, & attributa etiam quedam specialia; In partes quoq; & ipsa dispescitur, & commodum quidem in Generalem & Specialem.

XII. Illa agit de Ente universaliter accepto, eius principijs, tam cognitionis quàm rei, ac affectionibus, tum simplicibus, quæ omni Enti in se considerato insunt, quales sunt Existentia, Vnitatis, Veritas, Bonitas, tum disjunctis, quæ omni Enti non nisi disjunctim tribui possunt, ut causa causatũ, necessariũ contingens &c. Hæ ipsarum Entis specierũ tractationẽ suscipit, ac affectiones substantiarũ, & accidentium communes expendit, ipsiusq; Dei ac Intelligentiarum contemplationem instituit.

XIII. Ceterum in Generali Metaphysica parte, quæ primitus non unis, ijsdẽq; momentosis de causis altiori intellectu est percurrenda, auspiciandum meritissimò est ab Ente ipso, dum omnium aliorum transcendentium est & notissimũ, & communissimũ: Notissimũ quidem, & primũ inter omnia, quod cognoscitur, cognitione sc̄ actuali confusã, quæ accidentia ad essentiã rei pertinetia solum attendit, & quidem confusã potentiali, quæ unius vel alterius speciei sub genere contenta noticiam præbet; Tũ quia maximè universale est, & sensus primò offertur, tũ quia facilioris est abstractionis, tum quia fortius movet & facilius imprimitur, eo quod sæpius movet.

XIV. *Communissimum verò, & cui superius nullum superaddi potest genus partim quia omnium primò in Intellectu formatur, eò quod eius conceptus omnium sit aliorum conceptuum apex summus, sit generaliss. & imperfectiss. à quo intellectus noster primò progreditur ad illa, in quibus Enti est superadditum aliud, & sic procedit ulterius, quo usq; sanè potest; Partim quia supra omnia predicamenta locatur, deq; predicatur omni re qua vel sensibus advertitur, vel intellectu capitur.*

XV. *Sed sunt nonnulli, qui, quo furiarum genere, nescio, inquietati, molimine magno supra Ens adhuc alia locare genera, nimirum Intelligibile, Aliquid, & Aliquid positivum, sicq; illud non summum & communiss genus esse, probare conantur: Ast vanè & irritò penitus conatu. Nam tria illa non ut genera supra Ens collocantur, sed vel ut affectiones Entis, sicq; sub hoc ut genere summo continentur, vel ut termini synonymi cum Ente convertibiles.*

XVI. *Intelligibile enim omninò Entis est affectio, quia nihil intelligitur nisi sit Ens, id quod ex operatione Intellectus optimè demonstratur, nec non ex trito illo axioma, Nihil est in Intellectu, quin prius fuerit in sensibus: Quid? quod Intelligibile posterius sit Ente cognitione & naturà: Hoc namq; non est simplex & abstractum, sed concretum, ac compositum ex Intelligibilitate, si ita loqui fas, & suo subjecto.*

XVII. *Sic tò Aliquid interdum contradictoriè opponitur Nihilo seu non Enti, & in hoc significatu Entis est synonymum; Interdum dicitur quasi aliud quid, & ita non ut latius & prius, sed ut posterius sub ratione unius deprehendatur. In tantum autem abest, ut Aliquid positivum sit superius Ente, ut etiam longè sit strictius, posterius & inferius, privativa Entia excludens, subjectumq; Metaph. angustioribus, quàm par, cancellis includens.*

XVIII. *Manet igitur invicta assertio nostra, Ens summum esse genus, minimè verò speciem alijs generibus subjectam: Ex quâ insimul est manifestum, Ens definiti perfectè non posse, eò quod genus se superius nullum, nec differentiam veram ullam, ex qua cum genere constituatur, agnoscit. Sufficiet proinde eius aliqualis descriptio, qua talis esse potest, prout scil. ut objectum Metaph. consideratur: Ens est, quod habet essentiam realem non fictam aut per rationem excogitatum, quodque certam predicamenti speciem sive certum genus notat.*

XIX. *Prioribus verbis excluduntur tum non Entia, tum Entia ficta & rationis: Posterioribus autem tum Entia per accidens, quia certum predicamenti genus non notant, tum principia & affectiones Entis ab ipso separantur, quia & illa certam predicamenti speciem non constituunt; Ac dum absolute ponimus vocabulum essentia, inobscure innuimus nos de omni Ente, sive actu sive potentiâ existente, hinc verba facere.*



XX. *Ens verò hoc in suis speciebus restringitur indipisciturq; determinationem per modos positivos & reales inter se distinctos, quorum unus vocatur per se subsistere, qui substantijs in peculium est datus; Alter inherere alicui tanquam subjecto, qui Accidentibus unise convenit: Et hi duo modi non inclusi sunt intimè & essentialiter communi Entis natura, duo enim aliàs contrarij modi existendi uni rei inessent, neq; tamen ab eadem abstracti equè, ut aliorum generum differentia.*

XXI. *Alia enim genera ex aquo suas respiciunt differentias, à quibus seorsim determinantur, cum quibus etiam perfectam constituunt speciem: Verùm Ens non equè se habet ad utrumq; modum, sed enim substantialem modum existentia semper coherentem requirit, quo deinde mediante, etiam modum accidentale recipit.*

XXII. *Hinc Entis conceptus formalis, (quem dicunt aliàs ipsum actum intelligend; quo res concepta & cognita menti formaliter representatur & in eà determinatur) & Objectivus (qui aliàs res est ipsa per formalem conceptum cognita & menti representata) est quidem unus, àq; inferiorum rerum conceptibus non nomine tantum, sed re precisus; At verò saltem analogicus.*

XXIII. *Prius inde lucem aliquam accipit, quia intellectus noster concipiendò Ens non distrabitur in plures, sed potius se in unū colligit; & experientia clarissimè pro testimonio dicit, neminem in Entis conceptu percipere naturam vel Dei vel corporis &c. Quia etiam inferiorum conceptus concretionem admittunt, Entis autem simplicissimus est, & idcirco maxime distinctus, non nomine tantum, sed re, siquidem nomen rei non nisi data imponitur. De objectivo a. conceptu Entis peculiariter notandū, quod ille sit unus, nō numero & re, sed formaliter & fundamentaliter.*

XXIV. *Posterius ex eo redditur manifestarium, quod Entis conceptus ratione singularium, à quibus precisus dicitur, neq; sit purè equivocus, quia equivocatum non est scientia, & quia Ens predicata habet essentialia, in que dividi potest, ut in actum & potentiam &c. equivoca non item: Neq; simpliciter univocus, quia Ens non est genus verum, eò quod quidditative de suis differentijs, à quibus coarctatur, predicatur; Medium igitur obtinet gradum, & Analogus est, utraq; analogiā & attributionis & proportionis, lib. 4. Metaph. cap. 2.*

XXV. *Denum suffissimè dividitur Ens in Incomplexum & in complexum; Illud est vel Rationis, quod iterum est vel propriè sic dictum, quodq; ambitu continet suo omnes secundas notiones, conceptus item omnes negationum & privationum; vel fictum, quod Poëtis esse in usu assolet: vel Reale, sicq; aliud dicitur secundum Accidens, quod ex pluribus est compositum Entibus, vel quia uni insunt subjecto, ut bonus Musicus, vel quia coherent ut accidens cum subjecto, ut Homo Musicus, vel ut subjectum cum accidente, ut Musicus homo, lib. 4. Metaph. t. 13.*

26. Aliud

**XXVI.** Aliud dicitur Per se, quod nimirum certam alicujus categoriæ speciem notat, & ad certum predicandi potest revocari modum, lib. 5. Met. c. 7. Hocq; post dividitur in decem predicamenta, sive summa categoriarum genera, ad quæ ultimò revocantur omnia principia Entium, omnes item affectiones, nec non viæ ad Entis constitutionem ducentes, quales sunt omnes motuum species. Tantùm breviter de ipso Ente seu objecto Metaphysicæ.

**XXVII.** Porro principia sequuntur exactâ ordinis ratione ejusdem, quæ sunt vel Rei seu in complexa, existuntq; iterum duplicia, alia ex quibus res constituuntur, alia à quibus fiunt vel producuntur; Vel cognitionis seu complexa, quorum vulgò tria numerantur, axiomata, postulata & definitiones, ubi tamen axiomata, dum ad omnia Entia se extendunt, nec alicui generi Entis seorsim conveniunt, ad Metaphysicam imprimis sunt referenda, Ibid. cap. 3.

**XXVIII.** Inter autem hæc primam ac communissimum, quodq; sapientes ad unum spectant omnes, est hoc, Quod impossibile sit idem simul esse & non esse: Quod nunquã ope sensuum ex singularibus hauritur, sed ex ipso natura lumine acceptum approbatur, eodem ferè instinctu, quo res omnes Esse desiderant. Principia verò nõ tantùm cognitionis, sed & rei, sunt Actus & Potentia: Creaturæ enim omnes ex hiscè constant, licet illarum quædam plus actus, minusq; potentie participant, nonnullæ plus potentie suâ essentiã contineant.

**XXIX.** Estq; actus illud principium, à quo omnis res creata esse suum recipit certum & determinatum. Et hic prior est potentiã ordine natura & cognitionis, præditus etiam majori bonitate in illis rebus, quæ in bonis habentur, lib. 9. Met. c. 8. Dividiturq; tum in actum vel Essentia, quo una res ab alia essentialiter differt, vel Existentiæ, quo res extra est causas suas, vel Entitativum, qui Entibus competit incompletis: Tum in actum primum, qui de Essentiã; Et in secundum, qui de actione dicitur.

**XXX.** Potentia principium est transmutationis in alio: Estq; alia activa, quæ in alio prout aliud est, alia Passiva, quæ ab alio, prout tale est, principium transmutationis, alia Logica, eaq; est aptitudo: quæ omnia fieri credimus posse. Sic alia est subjectiva, quæ requirit subject præexistens, alia objectiva, quæ à causa efficiente pendet: Item alia est remota, à qua mediat alia propinqua à qua immediatus ad actum datur transitus. Sed vice hæc plura addere, ut a Libentiam, chartæ angustia validè vetat.

#### A D I E C T A N E A.

1. Metaphysica minimè complexus est scientiarum omnium. 2. Interq; hæc & reliquas disciplinas non est vera subalternatio. 3. Ipse etiam ex causarum omni genere suas formas demonstrationes. 4. Nihilum quæ tale non est intelligibile. 5. Non est univoca Entis ratio in DEO & rebus creatis. 6. Entis de suis inferioribus prædicatur essentialiter. 7. Et hoc medietate suprema omnia significat genera, 8. Habitus mentis maxime Entia sunt realia. 9. Actus & potentia privativè opponuntur. 10. Realiter quoq; discrepant.

Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. A. C. C.  
SPHATATIO  
TIONUM PHILO.  
ICARUM XXIIII.

De  
STITUTIONE  
YSICAE, EJUSQUE  
toac Principijs.

Quam,  
no benignè annuente,  
B PRÆSIDIO

Æ T I L E M A N I

Colleg. Philos. Adjuncti,  
rij gratiâ defendendam suscipiet,  
S K Ö N R I N G I U S  
Frisius

Vittebergensi Academiâ,  
Decemb. horâ & loco solitis.

n Præfat. lib. i. Nat. q. q.  
rum gratias ago, cum illam non ab hac parte  
est sed cum secretiora eius intravi &c.

ITTEBERGÆ.  
Gormaniâ, ANNO M. DC. X.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

B.I.G.

diver-  
i speci-  
entis il-  
onside-  
elligere  
o respe-  
  
sed jam  
nientes  
ab intel-  
quam  
  
et post-  
actu non  
Intellectu  
a s.  
actu qui-  
ut: Ibid.  
; Erin-  
ram vel  
ab uno ad  
mposita  
  
tu peroc-  
jatur et  
nt Velle  
o operem  
  
ere in et  
inferiori-  
modò  
placuit  
no L. 1.  
  
m ague  
docere.  
cogno-  
seripit.  
dellim-  
ernum